

N.B. Les vers entre parenthèses sont ceux qui ont été « attribués à Syrius ». Les crochets obliques (< >) indiquent des restitutions faites pour restaurer la métrique des vers corrompus.

- v.1 Alienum est omne quicquid optando evenit.
 2 Ab alio exspectes alteri quod feceris.
 3 Animus vereri qui scit, scit tuto ingredi.
 4 Auxilia humilia firma consensus facit.
 5 Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur.
 6 Aut amat aut odit mulier : nihil est tertium.
 7 Ad tristem partem strenua est suspicio.
 8 Ames parentem si aequus est : si aliter, feras.
 9 Adspicere oportet quicquid possis perdere.
 10 Amici vitia si feras, facias tua.
 11 Alienum aes homini ingenuo acerba est servitus.
 12 Absentem laedit cum ebrio qui litigat.
 13 Amans iratus multa mentitur sibi.
 14 Avarus ipse miseriae causa est suae.
 15 Amans quid cupiat scit, quid sapiat non videt.
 16 Amans quod suspicatur vigilans somniat.
 17 Ad calamitatem quilibet rumor valet.
 18 Amor extorqueri non pote, elabi potest.
 19 Ab amante lacrimis redimas iracundiam.
 20 Aperte mala cum est mulier, tum demum est bona
 21 avarum facile capias ubi non sis item.
 22 Amare et sapere vix deo conceditur.
 23 Avarus nisi cum moritur nihil recte facit.
 24 Aetas cinaedum celat, aetas indicat.
 25 Avarus damno potius quam sapiens dolet.
 26 Avaro quid mali optes nisi : " vivat diu ! "
 27 Animo dolenti nihil oportet credere.
 28 Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
 29 Amare juveni fructus est, crimen seni.
 30 Anus cum ludit morti delicias facit.
 31 Amoris vulnus idem sanat qui facit.
 32 Ad paenitendum properat, cito qui judicat.
 33 Aleator quanto in arte est, tanto est nequior.
 34 Amor otiosae causa est sollicitudinis.
 35 Avidum esse oportet neminem, minime senem.
 36 Animo virum pudicae, non oculo eligunt.
 37 Amantis jus jurandum poenam non habet.
 38 Amans ita ut fax agitando ardescit magis.
 39 Amor ut lacrima ab oculo oritur in pectus cadit.
 40 Animo imperabit sapiens, stultus serviet.
 41 Amicum an nomen habeas aperit calamitas.
 42 Amori finem tempus, non animus, facit.

43 Audendo virtus crescit, tardando timor.
 44 Auxilium profligatis contumelia est.
 45 Affatim aequa cui fortuna est interitum longe effugit.
 46 Avaro acerba poena natura est sua.
 47 Avaro non est vita sed mors longior.
 48 Alienam qui orat causam se culpat reum.
 49 Adsidua ei sunt tormenta qui se ipsum timet.
 50 Animo imperato ne tibi animus imperet.
 51 Animo ventrique imperare debet qui frugi esse vult.
 52 Aegre reprendas quod sinas consuescere.
 53 Amico firmo nihil emi melius potest.
 54 (Amicis ita prodesto ne noceas tibi.)
 55 (Avarus animus nullo satiatur lucro.)
 56 (Amici mores noveris non oderis.)
 57 Bis fiet gratum quod opus est si ultro offeras.
 58 Bonarum rerum consuetudo pessima est.
 59 Beneficium dare qui nescit injuste petit.
 60 Bonum est fugienda adspicere in alieno malo.
 61 Beneficium accipere libertatem est vendere.
 62 Bona nemini hora est ut non alicui sit mala.
 63 Bis emori est alterius arbitrio mori.
 64 Beneficia plura recipit qui scit reddere.
 65 Bis peccas cum peccanti obsequium commodas.
 66 Bonus animus laesus gravius multo irascitur.
 67 Bona mors est homini vitae quae exstinguit mala.
 68 Beneficium dando accepit qui digno dedit.
 69 Blanditia non imperio fit dulcis venus.
 70 Bonus animus numquam erranti obsequium commodat.
 71 Beneficium qui dedisse se dicit petit.
 72 Benivoli conjunctio animi maxima est cognatio.
 73 Beneficium saepe dare docere est reddere.
 74 Bonitatis verba imitari major malitia est.
 75 Bona opinio hominum tutior pecunia est.
 76 Bonum quod est supprimitur, numquam exstinguitur.
 77 Bis vincit qui se vincit in victoria.
 78 Benignus etiam causam dandi cogitat.
 79 Bis interimitur qui suis armis perit.
 80 Bene dormit qui non sentit quam male dormiat.
 81 Bonorum crimen est officiosus miser.
 82 Bona quae veniunt nisi sustineantur opprimunt.
 83 Bona fama in tenebris proprium splendorem tenet.
 84 Bene cogitata si excidunt non occidunt.
 85 Bene perdit nummos judici cum dat nocens.
 86 Bona imperante animo bono est pecunia.
 87 Bonum ad virum cito moritur iracundia.
 88 Brevissima esto memoria iracundiae.
 89 Bona turpitude est quae periculum vindicat.
 90 Bona comparat praesidia misericordia.
 91 Beneficium dignis ubi des omnes obliges.
 92 Brevis ipsa vita est sed malis fit longior.
 93 Beneficia donari aut mali aut stulti putant.
 94 Bene perdis gaudium ubi dolor pariter perit.
 95 Bene vixit is qui potuit cum voluit mori.
 96 Bene e patre audire alterum patrimonium est.
 97 Boni est viri etiam in morte nullum fallere.
 98 Bona causa nullum judicem verebitur.
 99 Bonus vir nemo est nisi qui bonus est omnibus.
 100 Consueta vitia ferimus, nova reprendimus.

101 Crudelis est in re adversa objurgatio.
102 Cavendi nulla est dimittenda occasio.
103 Cui semper dederis ubi neges rapere imperes.
104 Crudelem medicum intemperans aeger facit.
105 Cujus mortem amici exspectant vitam cives oderunt.
106 Cum inimico nemo in gratiam tuto redit.
107 Citius venit periculum cum contemnitur.
108 Casta ad virum matrona parendo imperat.
109 Cito ignominia fit superbi gloria.
110 Consilio melius vincas quam iracundia.
111 Cuivis dolori remedium est patientia.
112 Cotidie damnatur qui semper timet.
113 Cum vitia prosunt, peccat qui recte facit.
114 Contumeliam nec fortis pote nec ingenuus pati.
115 Conscientia animi nullas invenit linguae preces.
116 Comes facundus in via pro vehiculo est.
117 Cito improborum laeta ad perniciem cadunt.
118 Contemni (sapienti) gravius est quam stulto percuti.
119 Cotidie est deterior posterior dies.
120 Crimen relinquit vitae qui mortem appetit.
121 Cogas amantem irasci amare si velis.
122 Contra imprudentem stulta est nimia ingenuitas.
123 Crudelis est non fortis qui infantem necat.
124 Consilium inveniunt multi sed docti explicant.
125 Cave quicquam incipias quod paeniteat postea.
126 Cui omnes bene dicunt possidet populi bona.
127 Cui nolis saepe irasci irascaris semel.
128 Crudelis lacrimis pascitur non frangitur.
129 Caeci sunt oculi cum animus alias res agit.
130 Caret periculo qui etiam cum est tutus cavet.
131 Cum ames non sapias aut cum sapias non ames.
132 Cicatrix conscientiae pro vulnere est.
133 Cunctis potest accidere quod cuivis potest.
134 Cave amicum credas nisi si quem probaveris.
135 Contra felicem vix deus vires habet.
136 Cum das avaro praemium ut noceat rogas.
137 Cum se ipse vincit sapiens minime vincitur.
138 Contra hostem aut fortem oportet esse aut supplicem.
139 Cito culpam effugias si incurrisse paenitet.
140 Cum periculo inferior quaerit quod superior occulit.
141 Consilium in dubiis remedium prudentis est.
142 Cum inimico ignoscis amicos gratis complures acquiris.
143 Contubernia sunt lacrimarum ubi misericors miserum adspicit.
144 Crebro ignoscendo facies de stulto improbum.
145 (Cui plus licet quam par est plus vult quam licet.)
146 Discipulus est prioris posterior dies.
147 Damnare est objurgare cum auxilio est opus.
148 Diu apparandum est bellum ut vincas celerius.
149 Dixeris male dicta cuncta cum ingratum hominem dixeris.
150 De inimico non loquaris male sed cogites.
151 Deliberare utilia mora tutissima est.
152 Dolor decrescit ubi quo crescat non habet.
153 Didicere flere feminae in mendacium.
154 Discordia fit carior concordia.
155 Deliberandum est saepe : statuendum est semel.
156 Difficilem habere oportet aurem ad crimina.
157 Dum est vita grata, mortis conditio optima est.
158 Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.

159 Ducis in consilio posita est virtus militum.
 160 Dies quod donat timeas : cito raptum venit.
 161 Dimissum quod nescitur non amittitur.
 162 Deliberando discitur sapientia.
 163 Deliberando saepe perit occasio.
 164 Duplex fit bonitas simul accessit celeritas.
 165 Damnati lingua vocem habet, vim non habet.
 166 Dolor animi nimio gravior est quam corporis.
 167 Dulce etiam fugias fieri quod amarum potest.
 168 Difficile est dolori convenire cum patientia.
 169 Deos ridere credo cum felix vovet.
 170 Durum est negare superior cum supplicat.
 171 Dissolvitur lex cum fit iudex misericors.
 172 Dominari ex parte est cum superior supplicat.
 173 Decima hora amicos plures quam prima invenit.
 174 Etiam innocentes cogit mentiri dolor.
 175 Etiam in peccato recte praestatur fides.
 176 Etiam celeritas in desiderio mora est.
 177 Ex vitio alterius sapiens emendat suum.
 178 Et deest et superest miseris cogitatio.
 179 Etiam oblivisci quid sis interdum expedit.
 180 Ex hominum questu facta Fortuna est dea.
 181 Effugere cupiditatem regnum est vincere.
 182 Exsul ubi ei nusquam domus est sine sepulcro est mortuus.
 183 Etiam qui faciunt oderunt injuriam.
 184 Eripere telum non dare irato decet.
 185 Exsilium patitur patriae qui se denegat.
 186 Etiam capillus unus habet umbram suam.
 187 Eheu quam miserum est fieri metuendo senem !
 188 Etiam hosti est aequus qui habet in consilio fidem.
 189 Excelsis multo facilius casus nocet.
 190 Extrema semper de ante factis judicant.
 191 Ex lite multa gratia fit formosior.
 192 Etiam bonis malum saepe est adsuescere.
 193 Est utique profunda ignorantia nescire quod pecces.
 194 Etiam sine lege poena est conscientia.
 195 Errat datum qui sibi quod extortum est putat.
 196 Fidem qui perdit quo rem servat relicuam ?
 197 Fortuna cum blanditur captatum venit.
 198 Fortunam citius reperias quam retineas.
 199 Formosa facies muta commendatio est.
 200 Frustra rogatur qui misereri non potest.
 201 Fortuna unde aliquid fregit cassumst reficere.
 202 Fraus est accipere quod non possis reddere.
 203 Fortuna nimium quem fovet stultum facit.
 204 Fatetur facinus is qui iudicium fugit.
 205 Felix improbitas optimorum est calamitas.
 206 Feras non culpes quod mutari non potest.
 207 Futura pugnant ne se superari sinant.
 208 Furor fit laesa saepius patientia.
 209 Fidem qui perdit nihil pote ultra perdere.
 210 Facilitas animi ad partem stultitiae rapit.
 211 Fides in animum unde abiit <vix> umquam redit.
 212 Fidem nemo umquam perdit nisi qui non habet.
 213 Fortuna obesse nulli contenta est semel.
 214 Fulmen est ubi cum potestate habitat iracundia.
 215 Frustra, cum ad senectam ventum est, repetas adolescentiam.
 216 Falsum maledictum malevolum mendacium est.

217 Feminae naturam regere desperare est otium.
218 Feras difficilia ut facilia perferas.
219 Fortuna vitrea est : tum cum splendet frangitur.
220 Feras quod laedit ut quod prodest perferas.
221 Facit gradum Fortuna quem nemo videt.
222 Fortuna plus homini quam consilium valet.
223 Frugalitas miseria est rumoris boni.
224 Famulatur dominus ubi timet quibus imperat.
225 Facile invenies qui bene faciant cum qui fecerunt coles.
226 Frenos imponit linguae conscientia.
227 Felicitatem in dubiis virtus impetrat.
228 Falsum etiam est verum quod constituit superior.
229 Grave praejudicium est quod iudicium non habet.
230 Gravissima est probi hominis iracundia.
231 Gravis animi poena est quem post facti paenitet.
232 Gravis animus dubiam non habet sententiam.
233 Gravius malum omne est quod sub adspectu latet.
234 Gravius nocet quodcumque inexpertum accidit.
235 Gravis est inimicus is qui latet in pectore.
236 Gravissimum est imperium consuetudinis.
237 Grave crimen, etiam leviter cum est dictum, nocet.
238 Grave est quod laetus dederis tristem recipere.
239 (Geminat peccatum quem delicti non pudet.)
240 Heu quam difficilis gloriae custodia est !
241 Homo extra corpus est suum cum irascitur.
242 Heu quam est timendus qui mori tutum putat !
243 Homo qui in homine calamitoso est misericors meminit sui.
244 honesta turpitudine est pro causa bona.
245 Habet in adversis auxilia qui in secundis commodat.
246 Heu quam miserum est ab eo laedi de quo non possis queri !
247 Hominem experiri multa paupertas jubet.
248 Heu dolor quam miser est qui in tormento vocem non habet !
249 Heu quam multa paenitenda incurrunt vivendo diu !
250 Heu quam miserum est discere servire ubi sis doctus dominari !
251 Habet suum venenum blanda oratio.
252 Homo totiens moritur quotiens amittit suos.
253 Homo semper aliud, Fortuna aliud cogitat.
254 Honestus rumor alterum est patrimonium.
255 Homo ne sit sine dolore fortunam invenit.
256 Honestè servit qui succumbit tempori.
257 Homo vitae commodatus non donatus est.
258 Heredis fletus sub persona risus est.
259 Heredem ferre utilius est quam quaerere.
260 Habent locum maledicti crebrae nuptiae.
261 Honestè parcas improbo ut parcas probo.
262 Humanitatis optima est certatio.
263 Honos honestum decorat, inhonestum notat.
264 Heu, conscientia animi gravis est servitus !
265 Hominem etiam frugi flectit saepe occasio.
266 Homini tum deest consilium cum multa invenit.
267 Humilis nec alte cadere nec graviter potest.
268 Inestum laedis cum pro indigno intervenis.
269 Inferior rescit quicquid peccat superior.
270 Inimicum ulcisci vitam accipere est alteram.
271 Invitum cum retineas, exire incites.
272 Ingenuitatem laedas cum indignum roges.
273 In nullum avarus bonus est, in se pessimus.
274 Inopi beneficium bis dat qui dat celeriter.

275 Inopiae desunt multa, avaritiae omnia.
276 Instructa inopia est in divitiis cupiditas.
277 Invitat culpam qui peccatum praeterit.
278 Jucundum nihil est nisi quod reficit varietas.
279 Ingenuitas non recipit contumeliam.
280 Irritare est calamitatem cum te felicem voces.
281 Impune pecces in eum qui peccat prior.
282 Ingratus unus omnibus miseris nocet.
283 In miseria vita etiam contumelia est.
284 Ita amicum habeas, posse ut facile fieri hunc inimicum putes.
285 Invidiam ferre aut fortis aut felix potest.
286 In amore semper mendax iracundia est.
287 Invidia tacite sed inimice irascitur.
288 Iratum breviter vites, inimicum diu.
289 Injuriarum remedium est oblivio.
290 Iracundiam qui vincit hostem superat maximum.
291 Jactum tacendo crimen facias acrius.
292 In malis sperare bene nisi innocens nemo solet.
293 In judicando criminosa est celeritas.
294 Inimicum quamvis humilem docti est metuere.
295 In calamitoso risus etiam injuria est.
296 Judex damnatur cum nocens absolvitur.
297 Ignoscere hominum est nisi pudet cui ignoscitur.
298 In rebus dubiis plurimi est audacia.
299 Illo nocens se damnat quo peccat die.
300 Ita crede amico ne sit inimico locus.
301 Iratus etiam facinus consilium putat.
302 Invidia id loquitur quod videt non quod subest.
303 Injuriam aures facilius quam oculi ferunt.
304 Jacet omnis virtus fama nisi late patet.
305 Ignis calorem suum etiam in ferro tenet.
306 In venere semper certat dolor et gaudium.
307 In amore forma plus valet quam auctoritas.
308 Ingrata sunt beneficia quibus comes est metus.
309 Imprudens peccat quem peccati paenitet.
310 Inertia indicatur cum fugitur labor.
311 Iratus cum ad se rediit sibi tum irascitur.
312 In amore saepe causa damni quaeritur.
313 Jucunda macula est ex inimici sanguine.
314 In venere semper dulcis est dementia.
315 In misero facile fit potens injuria.
316 Interdum habet stultitiae partem facilitas.
317 Inertia est laboris excusatio.
318 Injuriam facilius facias quam feras.
319 Iratus nihil non criminis loquitur loco.
320 Incertus animus dimidium est sapientiae.
321 In turpi re peccare bis delinquere est.
322 Ingenuus animus non fert vocis verbera.
323 Injuriam ipse facias ubi non vindices.
324 Is minimum eget mortalis qui minimum cupit.
325 Inimici ad animum nullae conveniunt preces.
326 Inimico extincto exitium lacrimae non habent.
327 Ibi semper est victoria ubi concordia est.
328 Iter est quacumque dat prior vestigium.
329 Ibi pote valere populus ubi leges valent.
330 Insanae vocis numquam libertas tacet.
331 Improbe Neptunum accusat qui iterum naufragium facit.
332 Loco ignominiae est apud indignum dignitas.

333 Laus nova nisi oritur, etiam vetus amittitur.
334 Laeso doloris remedium inimici est dolor.
335 Levis est Fortuna : cito repossit quod dedit.
336 Lex universa est quae jubet nasci et mori.
337 Lucrum sine damno alterius fieri non potest.
338 Lascivia et laus numquam habent concordiam.
339 Legem nocens veretur, Fortunam innocens.
340 Libido, non iudicium est, quod levitas sapit.
341 Libido cunctos etiam sub vultu domat.
342 Longum est quodcumque flagitavit cupiditas.
343 Lapsus ubi semel sis, sit tua culpa, si iterum cecideris.
344 Lex videt iratum, iratus legem non videt.
345 Legem solet obliviscier iracundia.
346 Locis remotis qui latet lex est sibi.
347 Late ignis lucere, ut nihil urat, non potest.
348 Licentiam des linguae cum verum petas.
349 Lucrum est dolorem posse damno exstinguere.
350 Malignos fieri maxime ingrati docent.
351 Multis minatur qui uni facit injuriam.
352 Mora omnis odio est sed facit sapientiam.
353 Mala causa est quae requirit misericordiam.
354 Mori est felicis antequam mortem invoces.
355 Miserum est tacere cogi quod cupias loqui.
356 Miserrima est fortuna quae inimico caret.
357 Malus est vocandus qui sua est causa bonus.
358 Malus bonum ubi se simulat tunc est pessimus.
359 Metus cum venit, rarum habet somnus locum.
360 Mori necesse est, sed non quotiens volueris.
361 Male geritur quicquid geritur fortunae fide.
362 Mortuo qui mittit munus, nil dat illi, adimit sibi.
363 Minus est quam servus dominus qui servos timet.
364 Magis fidus heres nascitur quam scribitur.
365 Malo in consilio feminae vincunt viros.
366 Mala est voluntas ad alienam adsuescere.
367 Maximo periculo custoditur quod multis placet.
368 Mala est medicina, ubi aliquid naturae perit.
369 Mala naturae numquam doctore indigent.
370 Misereri scire sine periculo est vivere.
371 Male vivunt qui se semper victuros putant.
372 Male dictum interpretando facias acrius.
373 Male secum agit aeger medicum qui heredem facit.
374 Minus decipitur cui negatur celeriter.
375 Mutat se bonitas irritata injuria.
376 Mulier cum sola cogitat male cogitat.
377 Male facere qui vult numquam non causam invenit.
378 Malivulus semper sua natura vescitur.
379 Multos timere debet quem multi timent.
380 Male imperando summum imperium amittitur.
381 Mulier quae multis nubis multis non placet.
382 Malivulus animus abditos dentes habet.
383 Medicina calamitatis est aequanimitas.
384 Muliebris lacrima condimentum est malitiae.
385 Metum respicere non solet quicquid juvat.
386 Malo etiam parcas, si una periturus bonus.
387 Magnum secum affert crimen indignatio.
388 Malus etsi obesse non potest tamen cogitat.
389 Mage valet qui nescit quod calamitas valet.
390 Mora cogitationis diligentia est.

391 Multa ignoscendo fit potens potentior.
392 Multis placere quae cupit culpam cupit.
393 Minimum eripit Fortuna cum minimum dedit.
394 Meretrix est instrumentum contumeliae.
395 Malus bonum ad se numquam consilium refert.
396 Manifesta causa secum habet sententiam.
397 Multorum calamitate vir moritur bonus.
398 Metus improbos compescit non clementia.
399 Muneribus est, non lacrimis, meretrix misericors.
400 Metuendum est semper, esse cum tutus velis.
401 Mors infanti felix, juveni acerba, nimis sera est seni.
402 Malam rem cum velis honestare improbes.
403 Malum est consilium quod mutari non potest.
404 Malitia unius cito fit male dictum omnium.
405 Mortem ubi contemnas viceris omnes metus.
406 Misera est voluptas ubi pericli memoria est.
407 Male vincit is quem paenitet victoriae.
408 Misericors civis patriae est consolatio.
409 Malitia ut pejor veniat se simulat bonam.
410 Malus animus in secreto pejus cogitat.
411 Mutare quod non possis, ut natum est, feras.
412 Multa ante temptes quam virum invenias bonum.
413 Miserrimum est arbitrio alterius vivere.
414 Mansueta tutiora sunt sed serviunt.
415 Mala mors necessitatis contumelia est.
416 Minus saepe pecces si scias quid nescias.
417 Malus quicumque in poena est praesidium est bonis.
418 Mala est inopia ex copia quae nascitur.
419 Monere non punire stultitiam decet.
420 Multo turpius damnatur cui in delicto ignoscitur.
421 (Malum ne alienum feceris tuum gaudium.)
422 Nihil agere semper infelici est optimum.
423 Nihil peccant oculi, si animus oculis imperat.
424 Nihil proprium ducas quicquid mutari potest.
425 Non cito ruina obteritur qui rimam timet.
426 Nullus est tam tutus quaestus quam quod habeas parcere.
427 Nescias quid optes aut quid fugias : : ita ludit dies.
428 Numquam periculum sine periculo vincitur.
429 Nulla tam bona est fortuna de qua nihil possis queri.
430 Nusquam melius morimur homines quam ubi libenter viximus.
431 Negandi causa avaro numquam deficit.
432 Naturam abscondit cum improbus recte facit.
433 Non turpis est cicatrix quam virtus parit.
434 Numquam ubi diu fuit ignis defecit vapor.
435 Necesse est minima maximorum esse initia.
436 Non corrigit, sed laedit, qui invitum regit.
437 Nimia concedendo interdum fit stultitia stultior.
438 Nihil magis amat cupiditas quam quod non licet.
439 Nisi vindices delicta, improbitatem adjuves.
440 Nulli facilius quam malo invenies parem.
441 Nihil non acerbum prius quam maturum fuit.
442 Nocere posse et nolle laus amplissima est.
443 Non vincitur, sed vincit, qui cedit suis.
444 Necessitas dat legem, non ipsa accipit.
445 Nescio quid agitat, cum bonum imitatur malus.
446 Nulla hominum major poena est quam infelicitas.
447 Non novit virtus calamitati cedere.
448 Necessitas ab homine quae vult impetrat.

449 Necessitati quodlibet telum utile est.
450 Nocere casus non solet constantiae.
451 Non pote non sapere qui se stultum intellegit.
452 Necessitas egentem mendacem facit.
453 Non facile solus serves quod multis placet.
454 Necessitas quod poscit nisi des eripit.
455 Nocens precatur, innocens irascitur.
456 Nec vita nec fortuna hominibus perpes est.
457 Non semper aurem facilem habet felicitas.
458 Numquam non miser est qui quod timeat cogitat.
459 Ni qui scit facere insidias nescit metuere.
460 Negat sibi ipse qui quod difficile est petit.
461 Nimum altercando veritas amittitur.
462 Nullo in loco male audit misericordia.
463 Necessitas quod celat frustra quaeritur.
464 Necessitas quam pertinax regnum tenet !
465 Nemo immature moritur qui moritur miser.
466 Nocentem qui defendit sibi crimen parit.
467 Nihil non aut lenit aut domat diuturnitas.
468 Nihil turpe ducas pro salutis remedio.
469 Noli contemnere ea quae summos sublevant.
470 Nihil aliud scit necessitas quam vincere.
471 Nemo timendo ad summum pervenit locum.
472 Nisi per te sapias, frustra sapientem audias.
473 Necessitati sapiens nihil umquam negat.
474 Non facile de innocente crimen fingitur.
475 Nimum boni est in morte cum nihil est mali.
476 Ni gradus servetur, nulli tutus est summus locus.
477 Nihil est miserius quam ubi pudet quod feceris.
478 Nec mortem effugere quisquam nec amorem potest.
479 Necessitatem ferre non flere addecet.
480 Nusquam facilius culpa quam in turba latet.
481 Non leve beneficium praestat qui breviter negat.
482 (Non est beatus esse se qui non putat.)
483 Omnis voluptas quemcumque arrisit nocet.
484 Officium benivoli animi finem non habet.
485 O vita misero longa, felici brevis !
486 Objurgari in calamitate gravius est quam calamitas.
487 O dulce tormentum ubi reprimitur gaudium !
488 Omnes aequo animo parent ubi digni imperant.
489 Occidi est pulchrum, ignominiose ubi servias.
490 O tacitum tormentum animi conscientia !
491 Optime positum est beneficium bene ubi meminit qui accipit.
492 Obsequio nuptae cito fit odium paelicis.
493 Occasio receptus difficiles habet.
494 O pessimum periculum quod opertum latet !
495 Omnes cum occulte peccant, peccant ocius.
496 Occasio aegre offertur, facile amittitur.
497 Oculi occulte amorem incipiunt, consuetudo perficit.
498 Probus libertus sine natura est filius.
499 Prodesse qui vult nec potest, aequae est miser.
500 Pericla timidus etiam quae non sunt videt.
501 Pudor doceri non potest, nasci potest.
502 Plus est quam poena sinere miserum vivere.
503 Pudorem alienum qui eripit perdit suum.
504 Patientia animi occultas divitias habet.
505 Pejora multo cogitat mutus dolor.
506 Pecunia una regimen est rerum omnium.

507 Pudor dimissus numquam redit in gratiam.
508 Perdendi finem nemo nisi egestas facit.
509 Poena ad malum serpens jam cum properat venit.
510 Plus est quam poena injuriae succumbere.
511 Pro medicina est dolor dolorem qui necat.
512 Patiens et fortis se ipsum felicem facit.
513 Prospicere in pace oportet quod bellum juvet.
514 Parens iratus in se est crudelissimus.
515 Perdit non donat qui dat nisi sit memoria.
516 Probi delicta neglegens, leges teras.
517 Pars benefici est quod petitur si belle neges.
518 Properare in judicando est crimen quaerere.
519 Populi est mancipium quisquis patriae est utilis.
520 Per quae sis tutus illa semper cogites.
521 Perfugere ad inferiorem se ipsum est tradere.
522 Peccatum amici veluti tuum recte putes.
523 Potens misericors publica est felicitas.
524 Praesens est semper absens qui se ulciscitur.
525 Perfacile quod vota imperant felix facit.
526 Poenam moratur improbus, non praeterit.
527 Perdidisse ad assem malleum quam accepisse turpiter.
528 Paucorum est intellegere quid donet deus.
529 Perenne conjugium animus, non corpus, facit.
530 Pereundi scire tempus adsidue est mori.
531 Potenti irasci sibi periculum est quaerere.
532 Peccare pauci nolunt, nulli nesciunt.
533 Paucorum improbitas est multorum calamitas.
534 Pro dominis peccare etiam virtutis loco est.
535 Patiendo multa venient quae nequeas pati.
536 Paratae lacrimae insidias non fletum indicant.
537 Peccatum extenuat qui celeriter corrigit.
538 Pudorem habere servitus quodammodo est.
539 Potest uti adversis numquam felicitas.
540 Prudentis vultus etiam sermonis loco est.
541 Probo beneficium qui dat ex parte accipit.
542 Pudor si quem non flectit, non frangit timor.
543 Poena allevatur ubi relaxatur dolor.
544 Plures tegit Fortuna quam tutos facit.
545 Post calamitatem memoria alia est calamitas.
546 Probo bona fama maxima est hereditas.
547 Pericla qui audet ante vincit quam accipit.
548 Perpetuo vincit qui utitur clementia.
549 Plures amicos mensa quam mens concipit.
550 Prudentis est irascier sero et semel.
551 Per quem sis clarus illi quod sis imputes.
552 Poenae sat est qui laesit cum supplex venit.
553 Quamvis non rectum quod juvat rectum putes.
554 Quisquis nocere didicit meminit cum potest.
555 Qui metuit calamitatem rarius accipit.
556 Quam miserum est mortem cupere nec posse emori !
557 Qui pro innocente dicit satis est eloquens.
558 Qui cum dolet blanditur post tempus sapit.
559 Quod timeas citius quam quod speres evenit.
560 Quod vult cupiditas cogitat, non quod decet.
561 Quicquid conaris, quo pervenias cogites.
562 Qui bene dissimulat citius inimico nocet.
563 Quod semper est paratum non semper juvat.
564 Quodcumque celes ipse tibi fias timor.

565 Qui jus jurandum servat quovis pervenit.
566 Quod aetas vitium posuit aetas auferet.
567 Quemcumque quaerit calamitas facile invenit.
568 Quod periit quaeri pote, reprimi non potest.
569 Quam miserum officium est quod successum non habet !
570 quam miser est cui est ingrata misericordia !
571 Quam miserum est cogi opprimere quem salvum velis !
572 Quem fama semel oppressit vix restituitur.
573 Quod vix contingit ut voluptatem parit !
574 Quam miserum est id quod pauci habent amittere !
575 Qui in vero dubitat male agit cum deliberat.
576 Qui timet amicum, amicus ut timeat, docet.
577 Quicquid vindicandum est, omnis optima est occasio.
578 Quam miserum auxilium est ubi nocet quod sustinet !
579 Qui pote consilium fugere sapere idem potest.
580 Qui ulcisci dubitat improbos plures facit.
581 Qui obesse cum potest non vult prodest tibi.
582 Quicquid bono concedas, des partem tibi.
583 Quod nescias cui serves stultum est parcere.
584 Quae vult videri bella nimis, nulli negat.
585 Qui debet limen creditoris non amat.
586 Qui pote transferre amorem pote deponere.
587 Qui culpa ignoscit uni suadet pluribus.
588 Quod improbis eripitur donatur probis.
589 Qui sibi non vivit aliis merito est mortuus.
590 Quicquid fit cum virtute fit cum gloria.
591 Qui exspectat ut rogetur officium levat.
592 Qui timet amicum vim non novit nominis.
593 Qui non potest celare vitium non facit.
594 Qui omnes insidias timet in nullas incidit.
595 Quam malus est culpam qui suam alterius facit !
596 Qui docte servit partem dominatus tenet.
597 Qui se ipse laudat cito derisorem invenit.
598 Quam miserum est bene quod feceris factum queri !
599 Quam est felix vita quae sine odiis transiit !
600 Quicquid futurum est summum ab imo nascitur.
601 Quam miserum est ubi consilium casu vincitur !
602 Quicquid fortuna exornat cito contemnitur.
603 Quicquid plus quam necesse est possideas premit.
604 Qui pote nocere timetur cum etiam non adest.
605 Quem bono tenere non potueris, contineas malo.
606 Quod senior loquitur omnes consilium putant.
607 Quam miserum est, ubi te captant, qui defenderent !
608 Quod quisque amat laudando commendat sibi.
609 Quem diligas etiam queri de ipso malum est.
610 Qui venit ut noceat semper meditatus venit.
611 Quis miserum sciret, verba nisi haberet dolor ?
612 Quam miserum est cum se renovat consumptum malum !
613 Quanto serius peccatur tanto incipitur turpius.
614 Quam miser est qui excusare sibi se non potest !
615 Quo caveas, cum animus aliud verba aliud petunt ?
616 Qui invitatus servit, fit miser, servit tamen.
617 Quod est timendum decipit si negligas.
618 Quid tibi pecunia opus est, si uti non potes ?
619 Quod fugere credas saepe solet occurrere.
620 Quamvis acerbus qui monet nulli nocet.
621 Qui numerosis studet amicis is etiam inimicos ferat.
622 Qui accusat semet non criminari ab altero potest.

623 Qui dormientem necat absentem ulciscitur.
624 Quod est venturum sapiens ut praesens cavet.
625 Quem diligas, ni recte moneas, oderis.
626 (Quod vult habet qui velle quod satis est potest.)
627 Ratione non vi vincenda adulescentia est.
628 Rei nulli prodest mora nisi iracundiae.
629 Reus innocens fortunam non testem timet.
630 Rarum esse oportet quod diu carum velis.
631 Rapere est accipere quod non possis reddere.
632 Regnat non regitur qui nihil nisi quod vult facit.
633 Rivalitatem non amat victoria.
634 Ruborem amico excutere amicum est perdere.
635 Rex esse nolim ut esse crudelis velim.
636 Res quanto est major tanto est insidiosior.
637 Roganti melius quam imperanti pareas.
638 Respicere nihil consuevit iracundia.
639 Rapere est, non petere, quicquid invito auferas.
640 Remedium frustra est contra fulmen quaerere.
641 Rogare officium servitus quodammodo est.
642 Reddit non perdit cui quod alienum est perit.
643 Semper iratus plus se posse putat quam <vere potest>.
644 Spes est salutis ubi hominem objurgat pudor.
645 Suadere primum dein corrigere benivoli est.
646 Sapiens contra omnes arma fert cum cogitat.
647 Sanctissimum est meminisse cui te debeas.
648 Stulti timent fortunam, sapientes ferunt.
649 Sensus, non aetas, invenit sapientiam.
650 Semper beatam se putat benignitas.
651 Sapiens locum dat requiescendi injuriae.
652 Solet esse in dubiis pro consilio temeritas.
653 Semper consilium tunc deest cum opus est maxime.
654 Sapiens quod petitur, ubi tacet, breviter negat.
655 Semper plus metuit animus ignotum malum.
656 Secunda in paupertate fortuna est fides.
657 Si nihil velis timere, metuas omnia.
658 Summissum imperium non tenet vires suas.
659 Secundus est a matre nutricis dolor.
660 Sibi supplicium ipse dat quem admissi paenitet.
661 Suum sequitur lumen semper innocentia.
662 Stultum est ulcisci velle alium poena sua.
663 Sibi primum auxilium eripere est leges tollere.
664 Suis qui nescit parcere inimicis favet.
665 Sine dolore est vulnus quod ferendum est cum victoria.
666 Semper metuendo sapiens evitat malum.
667 Stultum est queri de adversis, ubi culpa est tua.
668 Solet hora quod multi anni abstulerunt reddere.
669 Spina etiam grata est ex qua spectatur rosa.
670 Stultum est vicinum velle ulcisci incendio.
671 Stultum facit Fortuna quem vult perdere.
672 Spes inopem, res avarum, mors miserum levat.
673 Se damnat iudex innocentem qui opprimit.
674 Sibi ipsa improbitas cogit fieri injuriam.
675 Satis est beatus qui potest cum vult mori.
676 Solet sequi laus, cum viam fecit labor.
677 Socius fit culpae qui nocentem sublevat.
678 Suspicio sibi ipsa rivales parit.
679 Semper metuendum quicquid irasci potest.
680 Seditio civium hostium est occasio.

681 Salutis causa bene fit homini injuria.
682 Stultitia est insectari quem di diligunt.
683 Sat magna usura est pro beneficio memoria.
684 Sero in periculis est consilium quaerere.
685 Sua servat qui salva esse vult communia.
686 Satis est superare inimicum, nimium est perdere.
687 Suspiciosus omnium damnat fidem.
688 Suspicio probatis tacita injuria est.
689 Superari a superiore pars est gloriae.
690 Supplicem hominem opprimere virtus non est sed crudelitas.
691 Sat est disertus e quo loquitur veritas.
692 Thesaurum in sepulcro ponit qui senem heredem facit.
693 Taciturnitas stulto homini pro sapientia est.
694 Tam deest avaro quod habet quam quod non habet.
695 Tarde sed graviter sapiens mens irascitur.
696 Tuti sunt omnes unus ubi defenditur.
697 Temptando cuncta caeci quoque tuto ambulant.
698 Tam de se iudex iudicat quam de reo.
699 Ubi fata peccant, hominum consilia excidunt.
700 Voluptas e difficili data dulcissima est.
701 Ubi omnis vitae metus est, mors est optima.
702 Unus deus poenam affert, multi cogitant.
703 Ubi peccat aetas major, male discit minor.
704 Ubi nihil timetur, quod timeatur nascitur.
705 Ubi sis cum tuis et absis, patriam non desideres.
706 Verum est quod pro salute fit mendacium.
707 Ubicumque pudor est, semper ibi sancta est fides.
708 Utilius ferrum est in sulco quam orichalcum est in proelio.
709 Ubi innocens formidat damnat iudicem.
710 Voluntas impudicum non corpus facit.
711 Virtuti melius quam fortunae creditur.
712 Verbum omne refert in quam partem intellegas.
713 Virum bonum natura non ordo facit.
714 Ubi coepit ditem pauper imitari, perit.
715 Veterem ferendo injuriam invites novam.
716 Virtutis spolia cum videt, gaudet labor.
717 Virtutis vultus partem habet victoriae.
718 Virtute quod non possis blanditia auferas.
719 Utrumque casum adspicere debet qui imperat.
720 Voluptas tacita metus est magis quam gaudium.
721 Viri boni est nescire facere injuriam.
722 Vultu an natura sapiens sis, multum interest.
723 Virtuti amorem nemo honeste denegat.
724 Ubi libertas cecidit, audet libere nemo loqui.
725 Vita otiosa regnum est et curae minus.
726 Ubi omnes peccant, spes querelae tollitur.
727 Ut plures corrigantur, <pars eliditur>.
728 Virtutis omnis impedimentum est timor.
729 Ubi iudicat qui accusat, vis non lex valet.
730 Ubi emas aliena, caveas ne vendas tua.
731 Ubi peccatum cito corrigitur, fama solet ignoscere.
732 Ubi innocens damnatur, pars patriae exsulat.
733 Vincere est honestum, opprimere acerbum, pulchrum ignoscere.
734 Velox consilium sequitur paenitentia.